DE VSV IVDICIO RVM PALATII APO- STOLICI

PER ANTONIVM MASSAM DE GALLESIO.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

DE VSV IVDICIORVM PALATII Apoſtolici ex epiſtola quadam.

ANTONII MASSAE GALLESII, AD N. AMICVM.

REQVIRIS conſilium meum, de aduentu ad vrbem tuo, cupiens ex iuris peritia, parare hic tibi honeſtum aliquod vitæ ſubſidium, aduerſus iſtas patriæ tuæ calamitates. Poterã (quod forſitan amicitiæ noſtræ ſatis eſſet) laconica illa reſponſione ſatisfactum putare, ſi reſcripſiſſem. Non. Verumtamen vt mihi etiam hac in parte ſatiſfaciã, ne alioqui videri poſſim amiciſſimo viro temere conſilium dediſſe, vtq; ſimul quãpluribus proſim, quos eodem capi deſiderio contingat, volui cõſilio rationes addere. Eſt profecto Romana hæc Curia, quaſi portus & refugium quoddam omnibus illis q laudata qualibet arte, vel ſcientia ſint. & virtute præditi. nec vllum eſſe inter Chriſtianos locum autumo, quin & pro comperto affirmo (dicant inuidi & maleuoli quod lubet) vbi æque probitatis & doctrinæ ratio habeatur. Sed multi non redigentes ſibi in memoriam, quales ipſi ſint, quo veniant, quid nã ſibi congruens, hic ſint acturi, imprudenter huc currunt, vbi poſtea tanquam implumes volucres ab incæpto volatu decidentes, dant inconſulti aduentus pœnas, dum & infra ſuam dignitatem hic viuunt, & ad patrias terras vitioſa quadam verecundia impediti, redire non audent, fortunam interim, aut Curiæ mores iniuſte accuſantes. Huic ego hominũ generi vuiuerſo (quod humanitatis officio conueniret) proſpectum per me eſſe deſiderarẽ. Sed qm̃ multæ ſunt ſciẽtiæ, multaq; artificia, ex quibus diuerſi diuerſa profitentur, quod cupio, exequi prorſus non valens, memor

Adagiu Antiquum antiqui adagii, vt quàm quiſq; norit artem, eam tractet, iis tantummodo ſcribã, qui exercendæ iuris peritiæ gratia huc ſe conferre in animum induxerint.

Iuris igitur peritorum hic quidam iudicant, alii ſunt iudicibus a conſilio, nonnulli vero litigatoribus operã præſtant, qui trium ſunt generum. Aduocati, Procuratores, & Sollicitatores vulgo dicti. Hi ſunt qui ſedulis miniſteriis incumbentes, cauſas norunt & tuentur vt ſuas. Aduocati ius ſuggerunt. Procuratores inſtruunt cauſas & ex facto informant, id ſolum quod eſt Aduocatorum non faciunt, iuris allegationes. Ad hæc officia quilibet etiam laici & coniugati admittuntur. Procuratores & ſi non recipiant in ſuum collegium, niſi iuris doctores, & illos vita & moribus probatos, atq; in agendis cauſis hic aliquandiu laudabiliter verſatos, facto etiam ſuper ea re ad interrogata reſpondendi, ſolẽni quodam periculo, ipſorum tamen certus non eſt numerus. Aduocatorum numerus eſt duodenarius, hiq; niſi iubente Pontifice, ac publica diſputatione peracta, non recipiuntur. de iis loquor, qui quod in Pontificale Conciſtorium aduocationis gratia aditum habent, Conciſtoriales dicuntur. nam ſunt & extra illum ordinem iuris doctores plæriq; Aduocatorum officium exercentes, ſicuti & procuratorũ, qui non ſunt in illorum Collegia recæpti. libera eſt enĩ Ciuitas, ita vt in ea liberum ſit vnicuiq; in rebus per ſe licitis, vt cumq; libeat ſe exercere. Sunt præterea fiſcalium cauſarum, ac pauperum Aduocati & Procuratores, qui a Pontifice conſtituunt, & habent ex fiſco certũ ſalarium. Referẽdarij Sunt item Referendarii, quos ex Prelatis Curialibus qui ſint iuriſperiti deligit ſibi Pontifex incerto numero, quorum officium eſt ſupplicum poſtulata. Pontifici referre omni penitus cuiuſcũq; generis mercedis acceptione ſibi interdicta. Iis delegat extra ordinẽ Papa cauſas certas. Sunt & duodecim viri formãdis bulla-

tis Iris præpoſiti, nūcupati Abbreuiatores, ſed hoc officium eſt ex iis quæ magno veneunt precio, & conſtat magis ex diuturno quodam eiuſmodi rerum vſu, quam ex iuris peritia.

Abbreuiatores

Iudices Vrbani, excepto Senatore & aliis, qui in Capitolio ciuium & incolarum ſæcularis fori cauſas iudicant, ad cætera tribunalia non admittuntur, qui ad eccleſiaſtici fori cauſas iudicandas, non ſunt idonei. Ab his igitur excludit te vxor, in Capitoliū vero vt adſcēdas, non eſt cur tantopere labores, modico interuallo deſcēſurus, quum pro more Iudices ibi ad breue tempus mutentur. A conſilio ſunt, ii quos vulgo vocant Auditores, & Cardinalibus, & Cameræ Clericis (quos Pontificii fiſci Quæſtores aut ꝓcuratores diceres) & aliis quibuſdam Prælatis. Sed quoniam illi pleruꝗ ſunt iuuenes, & in Curia nouitii, occupantes illum quaſi aditum, aut ſpeculam, ex qua ſpectare ſimul, & ſpectari poſſint, inoleuit vſus quidam, vt abſꝗ mercede certa, dominorum (ita enim appellāt) quibus inſeruiunt, liberalitatem expectent, ea tibi expectatio non eſſet opportuna.

Cameræ Clerici

Sollicitator vt fias, nō cōuenit ætati tuæ, vtpote quæ huius vitæ mediū curriculū iam cōfecit, qn̄quidē officium illud, ob ſcriptitandi, deambulādiꝗ, vel potius ſollicite ꝑ tā ingentem Vrbem diſcurrendi aſſiduū laborē, validū exigit corpus & robuſtum. præterea hoc artis procuratoriæ quaſi proludium, ſicuti aliarum artium rudimenta, quæ fiunt magnificentius quam diſcuntur, iuuenile quiddam habet, ipſa prima iuuentute deuorandum.

Idoneus quoꝗ Procurator ne euadere poſſis, eadem obſtat ratio. nam ſicuti adoleſcentuli caſtrenſibus imbuti ſtipendiis, bene imperare parendo, & bonos duces agere dum eos ſequuntur, aſſueſcunt. & qui clauum tenent ex remigibus aſſumuntur, optimæ deniꝗ cuiuſꝗ artis periti euadere cupientes, conferūt ſe ad illos, qui eam artē

docere poſſint,ita procuratoriæ huius facultatis nemo vnq̃ peritus euadet,qui a maiori aliquo,nõ auribus modo,verum etiã oculis non percæperit quæ ipſe mox agẽda ſit ſuſcepturus.Quod eo magis hac in Vrbe neceſſarium eſt,quod nõ vnius,aut alterius tantum, ſicut in cõpluribus aliis locis,ſed omninm generum cauſæ tractãdæ ſunt.quamobrem præter iuris peritiam longa opus eſt vſus iudiciarii tractatione, atq; agendi exercitatiõe, ex quo & illud fieri exiſtimo,q̃d rariores inuenias Procuratores,quam Aduocatos,bonos. Nõ negauerim eſſe audaculos quoſdam,qui ex peritioribus neminem ſectati,officium procuratoris vſurpent,ſcilicet figulinam(vt prouerbio dici ſolet)exordiẽtes de dolio diſcere. Atqui te ex illorum numero eſſe minime vellem. quoniam pace illorum ſit dictum , neceſſe eſt eos homines eſſe perfrictæ frontis,ac perditæ conſcientiæ.quando ingerunt ſe adeo temere agendis rebus quarum non habent peritiam , facturi experimentum inſcitiæ ſuæ periculo miſerorum clientum,quos inuerecunde produnt,nihil tandẽ aliud q̃ riſum de ſe peritis præbentes,dum quod ab initio ſtatim præripere ſibi voluerunt,neq; ab aliis impetrare vnq̃ poſſunt,vt in numero Procuratorum , eorum (inq̃)qui aliquo ſint in numero,habeantur. neq; ipſi vt ſint opere præſtant,ſed ſemper velut in tenebris palpitando,huc atq; illuc ſe vertũt,incerti quo dirigant greſſus.atq; ideo ab omnibus fere dignoſcuntur, his potiſſimum ſignis. Siquidem nõ conſiderato ab initio,neq; intellecto cauſæ ſtatu,ac fine iudicii,emendat ſæpe porrectum libellum,aut quod ſit ipſius libelli loco, faciunt frequentiſſime proteſtationes,plærumq; etiam actis cõtrarias,exhibent ſæpe articulos,tum mox corrigũt, deinde dant additionales, ſemper veriti ne ſit ad victoriã non ſatis dictum,abiurant erroris prætextu prius aſſerta & confeſſa, ad extremum a iudice , uel ab aduerſario,

vel a peritiori aliquo, de nullitate (vt nunc loquuntur) vel difficultate quapiam admoniti alium exitum non inuenientes, ſicuti olim mali poetæ, ſiquis forte nodus fabulæ incidiſſet Dei perſonam quæ nodum illum mirifice ſolueret introducebant, ita & hi de quibus loquor procuratores, quotidie Pontificis & Cardinalis qui iudicialibus præeſt ſignandis libellis aures obtundunt, flagitantes, vt ædito reſcripto, nodi ſoluantur, difficultates declarentur, nullitates reiiciãtur, miracula demum promantur, atq; his & ſimilibus ad cauſæ merita nihil attinentibus, implentur ab his Regeſta, vacuantur autẽ miſerorum clientum crumenæ. Hos igitur nos miſſos faciamus, & imitemur bonos, apud quos etiam antiquitus nemo eſt inter egregios cauſarum patronos cõnumeratus, quem non cõſtet iuuenem prius ad antiquiorem aliquẽ cauſidicum deductum, illumq; ſectatum eſſe, in quo vno ſectando, ſimul omnes eiuſdem ætatis patronos in plurimis, & cauſis & iudiciis cognouerit, deprehenderitq; quid in vnoquoq; vel probandũ vel improbandum eẽt, atq; ita experimentis alienis eruditus, & aſſuefactus cauſarum patrocinium ſolus in ſe ſuſcipere valeret. Quamquam veteres illi cẽſuerunt nullum eſſe idoneum cauſarum patronum, qui philoſophiæ quoq; ſolidis ſententiis, aliiſq; honeſtis artibus imbutus non eſſet, qui poetas, qui oratores non legiſſet, qui non aliquam ex hiſtoriis antiquitatis memoriã collegiſſet. Ego vero, tametſi videantur illa omnia ſplendida quædam, & vtilia eſſe plerũq; ornamenta, quoniam ea (neſcio quo fato) cum iuris peritia in noſtri æui hominibus raro eſſe cõtingit, ꝓ huius Curiæ, atq; Rotæ præſertim Auditorii, de quo ſum poſtea dicturus, iudiciorum vſu, tolerabilẽ fore exiſtimo Procuratorem, qui iuris tum ciuilis, tum canonici peritus, non rudis etiam neq; imparatus ab exercitationibus neceſſariis accedat, ſine quibus multi ſummam

quidem iuris & legum ſcientiæ doctrinam afferentes, cũ ad actionem peruentum eſt, exercitationis imperitia, pulchritudinem eius doctrinæ corrumpunt. Quanti autem facienda ſit hæc quam exquiro exercitationis & uſus peritia, nedum ex antiquo prouerbio planum eſt factum, cum vulgo dici ſoleat. Exercitatio rerum omnium hominibus fit magiſtra, ſed & in hac ipſa de qua loquimur facultate declarauit Gallus Aquilius, qui cum iuris ciuilis omnium ſuæ ætatis peritiſſimus eſſet, ſiquis tñ ad eũ quid tale retuliſſet, vt de facto quæreretur. Nihil hoc ad ius, ad Ciceronem inquibat. & Q. Scæuola clariſſimus legum interpres, & certiſſimus, qui quotieſcũq; de iure prædiatorio cõſulebatur, ad Furium & Caſellium, quia huic ſcientiæ dediti erant, conſultores reiiciebat, atq; ipſe Cic. qui de aqua ſua Tuſculana M. Tugionem potius q̃ C. Aquilium conſulebat, confitendo ſcilicet ab iis poſſe negocium aptius explicari, qui quotidiano illius vſu calleant.

At dices, inter Aduocatos eſſe, cur non potero? quãdoquidem hi (vt dixiſti) nihil aliud q̃ iuris allegationes faciũt. quod & ego hic meis conſultoribus præſto, atq; illis plærũq; in Romana iſta Curia litigantibus. Reſpõdebo equidem bona fide quod ſentio. Aduocatus eſſe poteris, nõ tamen ita confeſtim poteris, vt res tuæ domeſticæ forſitan exigunt. Nam præter eximiam iuris ciuilis doctrinam, ſine qua (tanta eſt ſemper hic virorum impenſe doctorum vndique confluentium multitudo) nemo vnquã inter alios caput extollit. præterea conterendi tibi erũt aliquot & mẽſes & anni, ſimul vt iuris canonici, & vſus cauſarum fori eccleſiaſtici (quæ hic frequentius tractantur) peritiam (quam ſi vera loqui licet nemo, quamlibet is doctus fuerit, vnquã ſecum huc attulit) adipiſci queas. ſimul vt cum doctrina quam tecum afferes imbuas etiã Curialitatẽ (neceſſe eſt vtar hoc vocabulo quum aliud

rem

rem ipſam exprimens non habeam) antequam Aduocatum profitearis, & iuris allegationes ædas. Nam vt in ſchola, & in familia recentiſſimus quiſq;, tãquam rudis, conſeruis & condiſcipulis, ita callidis Curialibus hic, nõ iuriſperiti modo, ſed & alii quicũq; nouitii ludibrio ſolent eſſe, ſi qui ſint, qui antequam bene cognitas habeant populi huius aures, & vitæ conſuetudinem, vel de hac agendi & viuendi ratione, quã ignorant, vel de ſua quæ hic rudis haberi ſolet, loqui pergãt, quin & illos indigentes, & iuris peritos interdum ioci cauſa, Doctores de partibus, vocant. Roges fortaſſe, quid nã hæc ſit Curialitas, qua qui careant appellentur indigentes? neſcio inquam, tantum eſſe quiddam ſcio, quod explicari facile non poſſit, ſed ad rem noſtram ſit maxime neceſſarium. id tu quoq; intelliges, ſi reiecto conſilio meo veniens, hic aliquandiu vixeris. videbis enim & Iuriſcõſultos, & alios omnis generis Curiales, quaſi coloratos eſſe Vrbanitate quadam, ita vt in ſuis quique artibus, ab externis artificibus dignoſci facile poſſint, & ueniet fortaſſe tibi in memoriam, vel tragicus ille Ion, græco ſermone in hunc ſenſum, dicens. Ex Athenis me quæ peperit vtinam ſit mulier. Vt mihi eſſet, a matre libertas loquendi. Puram enim ſi quis in Ciuitatem inciderit hoſpes. Quãuis verbis ciuis ſit, & os tamen Seruile compeſcit, & non habet loquendi libertatem. vel Theophraſtus ab Athenienſi anicula deprehenſus & irriſus, quod præ ſe ferret adhuc ſpeciem hoſpitis, cum tamen ætatẽ ageret Athenis, & optime loqueretur.

Ne autem ad hæc mihi tu contradicas, ſi forſitan audieris quemadmodum hic ſingulis pene ætatibus multi Iuris periti, ſiue illi cauſarum Procuratores, & Aduocati, ſiue Iudices, noui atq; ignoti, mediocri etiam doctrina, ſint pluſquam mediocres honores, amplam pecuniã, & gratiam conſequuti, fatebor ego id quidem, & addam, illos

rum aliquot ſine doctrina, ſine ingenio, incōdito etiam &(quod ad iuris peritiam attinet)inepto agēdi modo, quæ dixi,& ampliora etiam q̄ credi par ſit, obtinuiſſe. Verūtamen neq; tu id quæris a me quoquo pacto acquiri pecunia, ſed quomodo id honeſte, atq; ex iuriſperitia effici valeat, neq; ego lucro adponēdū eſſe cenſeo quicquam, quod non ſit cum honeſtate cōiunctum, & ab initio ſum teſtatus, nolle me niſi de iuris peritiæ dumtaxat exercitatione tractare. At ii de quibus loquimur, nomine tantum iuriſperitiam profitendo, aut inuerecūda quadam loquacitate, aut(quod multū in hac Curia pollere ſolet)tempori obſequendo, multorūq; vel inepti as ferendo,& honori aſſentando, vel neceſſitati interdū & periculo ſeruiēdo, ad ſummā, quauis rōne, ac quibus uis artibus magis quam Iuris prudentia celebres euadunt. Illi ergo ſua ſibi habeant, ego redeo ad Aduocatos. Certe alia eſt hic ratio & via iuris allegationū, alia qua vos vtimini,& qua celeberrimi etiam Doctores extra Curiam hanc, ſuperioribus annis ſunt uſi,& adhuc vtunt. Putasne adeo modicam eſſe hic iacturæ temporis curā, vt vacet nedum ſcribere, ſed vel ab aliis ſcripta legere, prolixa illa conſilia, ex præſcripta ſemp eādem formula exarata, ita vt vnumquodq; illorū, quaſi poetæ alicuius inſignis liber, ſuam habeat numinis inuocationem, facti etiam a primordio repetiti propoſitā narrationē, deinde numeratam ſeriem dubiorū de quibus ſit diſputandum. poſt hæc ſequatur ad illorum ſingula, in vtrāq; partem diffuſa multorum argumentorum coaceruatio, congeſtis in vnūquēq; locū innumeris pene legum, gloſſarum,& Doctorum auctoritatibus(verentibus ſcilicet illis, ne videantur vel de leui aliqua dubitatiōe, vel oſcitanter ſcribere.)Deinde ſubiungatur alterius partis cōfirmatio, alterius confutatio.& ad extremum(quaſi perorationis loco)in ſingula capita ex antedictis collecta

iuris concluſio:res ſane(ſi vera fateri volumus)& per ſe
frigidiſſima,&(de iure præſertim conſulentibus) mini-
me congrua. Sed quoniam non patitur epiſtolæ,ac tem
poris huius ratio,vt hac de re diffuſius eloquar,alio lo-
co(Deo fauente)ſum oſtenſurus,quæ nam iuris ſcīētiæ
profeſſoribus,& diſputandi in ſcholis,& conſulendi de
iure,atq; in iudiciis iuris ſui tuendi,ratio cōueniat. Hic
illud tantūmodo aperiam,vnde exiſtimem,illam ſcribē
di & diſputandi normam a recentioribus legum Docto
ribus vſurpatam,ad nos,uſq; perueniſſe, cum cōſtet an
tiquos illos nunquā ſatis laudatos Iuriſcōſultos longe
alia methodo,eſſe vſos. Fertur e media primum Acade-
mia inuectum eſſe,vt ſua vaniloquentia Philoſophi illi
apud ſuos Auditores in vtrāq; partem diſſererent. Eum
morem antiquioribus non vſitatum,poſteriorum pluri
mi non probarunt,nonnulli vero receperunt,ita tamen
receperunt,vt artium & articulorum in quibus is obſer
uandus eſſet,ratio & delectus haberetur.inter eiuſmodi
artes theologia ſit necne,dicere non eſt meum. illud au
tem certum eſt,quod eam ſcribendi & diſputādi viam
ſequuti ſunt ex noſtris iuniores illi theologi,qui primū
theologiæ miſteria philoſophorum placitis cōmiſcue-
runt,propoſito ſibi oraculo Ariſtotelis,quodam in lo-
co dicentis. Melius habere ſe illum ad iudicandum, qui
tanquā aduerſarios omnes vtrinq; rationes audiat. ean-
dem methodum oſtentationis ac iactantiæ plenam ab
æqualibus illis ſuis theologis,noſtri iuris Doctores mu
tuati,ad nos vſq; tranſmiſerunt,eo quo dictum eſt mo
do,nullo videlicet rerum diſcrimine cuncta tractātes,
magno equidem(niſi ego fallor)errore. quum in iis di
ſceptationibus quæ de iure, præſertim cōſulendo,& in
iudiciis, fiunt,(cōiecturalibus & diffinitiuis quibuſdam
cauſis dūtaxat exceptis)is modus nequaquā conueniat.
Qua vero ſcribendi & informandi via vtātur hic in iu-

diciis Aduocati & Procuratores, non erit fortaſſe ab re ſi ſcribam, quãdoquidem (vt dixi) non tibi ſoli hæc ſcribo. Sed quoniam id cõmode fieri non poſſet, niſi prius vniuerſa iudiciorum forma & conſuetudine demonſtrata, idcirco & illam breuiter exponere decreui. Quod eo libentius facio, vt obiter de Auditorio cauſarum Palatii Pontificii, quod a Rota cognomen habet, iis qui vel hic non fuerunt, vel hæc non animaduerterunt, ſi non omnia, quæ tam multa ſunt, ut facile me quoq; fugere poſſint, aliqua ſaltim ex multis animaduerſione digna deſcribam. Ex quibus (mea quidem ſententia) illis qui rei politicæ peritiam, & hiſtoriarum notitiam habent, clarum efficietur, tribunal hoc omni ex parte íſignius, eſſe, ac prudentius inſtitutum ꝗ aliud vllum quotquot apud quas vis gentes vel ſunt, vel olim fuerũt. De aliis autem Vrbanis tribunalibus, non eſt opus vt aliquid dicam, ſunt enim conuenientia rationi Principatus & Regiminis huius Pontificii, quod nemo non nouit. Atque illud in primis eſt ſummopere admirandum, quod cum alia huius Vrbis & aliarum Eccleſiæ Romanæ Ciuitatũ tribunalia, & iudicia, eo ſint inſtituta, & regãtur more, quem ipſius Principatus & politiæ genus ferre poteſt, hoc de quo loquor Auditorium, longe ab ipſo Principatu differenti ratione inſtitutum, iam diu multis ſæculis durat, atq; (vt magis mirandum ſit) in priſtina ſua integritate perſeuerat, & nõ modo ab aliis huius Regiminis modum reſpicientibus nõ corrumpitur, neq; a ſuo ſtatu ne vnguem quidem tranſuerſum mouetur, ſed potius euenit, vt reliqua fere omnia chriſtiani orbis tribunalia tanquã a venerando quodam exemplari, ab hoc acceperint ſui ritus normam & exemplum. Tum & illud non modica eſt admiratione dignum, qđ ex vniuerſis prouinciis, quaſi ad cõmune omnium tribunal, neglectis etiam plærũq; ſuorum Principum inhibitionibus, litigatores

cauſas huc ſponte ſua deferunt,quas alio,niſi coacti,nō deferrent,tanta eſt apud omnes nationes de loci huius in iudicando fide atq; integritate perſuaſio. neq; id immerito,quando nemo eſt vel reus victus,vel actor non vincens,qui de huius Auditorii ſententia iuſte conqueri poſſit,nec quiſquam eſt, qui, ſi iuſtam habere ſe cām exiſtimet,hoc iudicium non affectet. ita vt prouerbio dicatur. Malam cauſam habet,qui iudiciū Rotæ formidat,niſi fortaſſe aliquis inopia præſſus,vel alio incōmodo impeditus id refugiat. Si enarrare velim ſingulas rationes,quibus iudicia bñ conſtituta conſtare viſum eſt, vel rei politicæ ſcriptoribus,vel iis qui reſpublicas conſtituerunt,atq; illas argumentis comprobare,ſubindeq; declarare,quemadmodum in huius Collegii inſtitutiōe bona ſint omnia,mala abſint,res eēt fortaſſe multis nō ingrata,ſed ab inſtituto præſenti aliena, deſideraret.n. iuſtum librum,ad quem conſcribendum,tametſi velim, neq; otium mihi eſſet,neq; facultas par, neq; doctrina. itaq; id ſolum agam,vt quaſi Logiſta vel Nomenclator aliquis. Auditorii Rotæ inſtituta & ritus, tanquam ex indice recitare tentem,relinquam autem lectorum arbitrio iudicandum,ita ne ſit quemadmodum ego dico,tribunal hoc omni ex parte prudēter inſtitutum. atq; hinc mox principium ſumam.

Numerus Auditorum eſt duodenarius,nō quidem ita magnus,vt non facile ac frequenter conuenire poſſint, habens autem tot viros,quot veriſimile eſt omnium litiū ambages deprehendere poſſe,quotq; vix dubitari queat ad ferendum iniquam ſententiam,fraude,vel errore adduci poſſe.

In eorum electione Pontifices olim non fungebātur imperio Principali,ſed inuiolatam eius Collegii inſtitutionem cuſtodientes. quoties in alicuius decedentis Auditoris locum alius erat ſufficiendus,quotquot occurebāt

Idonei ad id munus obeundum, illos Vicecancellario, et per eum Auditorum Collegio deſignabant, ut ex eis eligerent, quem magis eſſe idoneum comperiſſent. Audito rum deinde cura erat, ſolerter quærere de ſingulorū natalibus, anteactæq; vitæ moribus, & doctrina, accuſatores quoq; illorum & delatores audire, & quem dignum, ſeu ex pluribus digniorem exiſtimarent, eum admittēdū eſſe Pontifici referre. Sed compluribus ab hinc annis, qui fuerunt Pontifices, vel quorundam eximia doctrina, vel alia quapiam ratiōe moti, hoc ſibi interdum ſum pſerunt, vt ex multis vnum aliquem ipſi elegerint illūq; admittendum eſſe iuſſerint. Quicūq; vero vel ſpuriis, vel alias obſcenis natalibus progenitus eſt, qui vel ſordium, vel admiſſi cuiuſpiam criminis notam inuſtam ſemel habuiſſe probatur, qui iuris (præſertim canonici) ſcientiæ ſpecimen aliquod non dederit, is in conſortium illud nō intrat. cæterum nulla excipitur natio, quin potius ea ſolet eſſe Pontificis & ipſius Collegii cura, vt (quoad eius fieri poteſt) ex vna quaq; Prouincia, ex qua cauſæ huc deferuntur, ſit aliquis Auditor. Si plures æque idonei videantur offerri, præponi ſolet is qui (eo quod hic diutius fuerit) diuturniori huius vſus peritia polleat, & in vniuerſum Curiales & noti, abſentibus & incogniti anteferuntur, quoniam non raro compertū eſt, iuxta prouerbium. Cognita iudicio cōſtare, incognita caſu. viſumq; eſt, & noſtra, & maiorū memoria, multos ob ingentem iuris ſcientiæ famā ad hoc munus obeundum a Pontificibus aliūde euocatos, & magna cum expectatione aduenientes illico recæptos, concæptam de ſe ſpem inſigniter eſſe fruſtratos.

Poſt hæc is de quo tandem recipiendo deliberatū fuerit, iubetur de iure, ſemel publice, iterum priuatim diſputare, a quo periculo nulla eſt excuſatio, nullum effugium, quod ex Baldo id atteſtante ſciri poteſt, & ex Felino, q

ſcribit ſe cum in eum ordinē fuit cooptatus hæc omnia peragere coactum eſſe, tametſi alias iuris Doctor emeritus, vltra viginti annos ordinariam Pontificii iuris cathedram in publicis Italiæ gymnaſiis tenuiſſet.

Liberum hunc ordinem eligendi Auditores, ſi quandoq; Pōtifices auctoritate ſua, ſine cauſa manifeſte reip. vtili & honeſta, impediuerunt, aut turbauerunt, & aliquos impares oneri homines eum in locum intrudi iuſſerunt, mirum eſt, q̄ multis modis vtroſq; ſimul facti pœnituerit, illos q; ob illorū male facta, in dies male audierint, hos vero q; iure optimo omnibus deriſui contēptioniq; fuerint. Sed eſto vt illi ordine turbato intruſi alias tolerabiles fuiſſent, ea tamen ex parte ſemper fuerunt ſuſpecti, quod ita ingreſſi eſſent, habitiq; ſunt tāq̄ ab vno deſcripti, non autem tanq̄ e republica electi, qđ eſt ipſius Collegii fundamentum & vetus inſtitutio, cauſaq; quāobrem tot iam ſæculis vniuerſæ nationes illic ſpōte ſua (ſicut eſt dictū) voluerint iudicari. Vnde ſi & nobis philoſophando diuinare aliquid licet, quoniam naturale videtur eſſe, contrario quo incipiūt modo, res humanas deſinere, & nihil eſſe perpetuum, illum fore exiſtimo finē auctoritatis huius tribunalis, vbi ſinguli quiq; poſthabitis aliis æque, vel fortaſſe magis idoneis, quadā fauoris prærogatiua locū illum occupauerint, & ſup ea re ſublata penitus fuerit ipſius Collegii auctoritas, ad ſummam, vbi forma electionis Auditorum de qua dixi, in eā quæ Monarchiæ ſpeciem quādam præſeferre videatur, immutata fuerit. Repugnabit enim illud hominum propoſito, qui ex diuerſis prouinciis deferunt huc cauſas tā quam ex reipublicæ forma iudicandas, peroſi (vt plurimum) ſuos ordinarios Iudices, qui ex Monarchiæ quodāmodo affectibus, ideſt Epiſcopis & Principibus ſuis obſecūdando, magis quam legibus, iudicāt. indignabuntur etiā viri docti, qui ſpe conſequendi virtute ſua gradū

illum, ad Curiam vndique cõfluũt, & illorum gratia tota Curia, & orbis vniuerſus, eo quod neglecta veteri bona cõſuetudine, cæteris poſthabitis, vnum aut alterum, & illos fortaſſe deteriores præponi viderint, atq; exinde loci auctoritas decreſcer, vetus eſt enim verbum. Ex hoc perire multas reſpublicas, vbi in æquali honore ſunt malus & bonus. & natura ita comparatum eſt, vt prorſus indigne feramus, ac vehementiſſime conturbemur, vbi quis hoc ipſo tantum, quod vel poteſtate, vel poteſtatem habẽtis fauore antecellit, alios premio vult fraudare, præſertim ſi illi ſint pares, vel fortaſſe maiores virtute, conditione, fama.

Vbi vero Auditores magiſtratum ſuſciperint, eum nunq̃ deponunt, niſi vel tanquam emeriti in Cardinaliũ ordinem cooptati fuerint, quod ſæpe cõtingit, vel (quod rariſſime accidit,) ob crimẽ aliquod vel ob inertiam ignominia magiſtratu deponantur.

Dum recipiuntur autem obligant ſe iureiurãdo religioſiſſimo, quo religioſius ne ab integerrimis quidem illis Aegyptiis olim Iudicibus præſtari potuiſſe credẽdum eſt.

Cauſæ vero in primis ad hoc tribunal deferri ſolent eccleſiaſticæ, tum etiam profanæ, quæ ſcilicet ſpectẽt aut ad eccleſias, aut ad miſerabiles perſonas, aut etiam ad ſubditos temporariæ iuriſditioni Romanæ eccleſiæ, ſi quæ inſignioris cuiuſdam ſint notæ, priuatæ dũtaxat, ideſt quæ ciuiliter (vt aiunt) & priuatis agãtur iudiciis. nam de publicis cauſis & iudiciis, ideſt in quibus ad pœnam delictorum criminaliter agitur, non eſt huius Auditorii cognitio.

Habent hi quidem Auditores ad cognoſcendum eiuſmodi cauſas iuriſditionẽ ordinariam, ſed quia ſingulatim eiuſmodi cognitionem exercere aliter non poſſunt, idcirco diſtribuuntur ſingulæ cauſæ Auditoribus ſingulis, Pontificiis quidem reſcriptis, non tamen pro ipſius

Pontificis

Pontificis voluntate,neq; pro litigantium arbitrio, ſed ſortito per circulum(turnum appellant)qui cuſtoditur apud eum qui pro Vicecancellario regit Pontificis Cancellariam.Olim nō mandabatur Auditori cui cauſa diſtribuebatur,niſi cognitio tãtum cauſæ,cuius inſtructæ merita,& ſuper illis Collegii reſolutionē Pontifici referebat,vt ſecundū illius arbitrium ſententia promulgaretur,quam ob cauſam tradit Speculator Auditorū eis nomen eſſe inditum. ſed vt Principalis iudicii ſpecies vndique tolleretur,hoc quoq; iam diu eſt immutatū,& demandatur vnicuiq; Auditori ab initio facultas etiam decidendi negocium,neq; ad ſnīam proferēdam neceſſe habent Pontificem adire.

Ad illius cui diſtributa cauſa eſt offm̄ ſpectat, Curare vt iudiciarius ordo rite ſeruetur,utq; probationes & neceſſaria cauſæ inſtrā in acta deducantur.deductorūq; ac geſtorum oium Regeſta ſcribantur.Regeſta inquam illorūquæ vel ad probationē ex factofaciendam,vel ad iudiciarium ordinem ſunt neceſſaria,nam quæ ſuper probatis fiunt vel facti informationes,vel iuris allegationes, pro minori litigantium diſpendio,in acta non rediguntur.Factis autem probationibus,inſtructa cauſa, iudicii forma ex terminis quos ſubſtãtiales appellant, cōpleta, & omnibus in Regeſtum collatis.idem Auditor cuncta prius diligenter inſpicit, & ex illis tum quæ ſibi occurrunt,cum ea quæ a partibus ſuggeruntur,ſiue illa ſint ex facto,ſiue ex iure,dubia elicit.cōſignanda poſtea litigatoribus ipſis,vt ſuper illis ad certū diem vniuerſos Auditores informent.Erubeſcendum vero eſſet illi, ſiquis Auditor non perſpectis actis,ad informandum præſcriberet difficultates,qm̄ ſi iis quæ vl̄ a partibus vel a Collegis ſuis adducūtur,argumentis non occurreret,atq; in promptu & quaſi in numerato nō haberet rñſiones quæ ex actis afferri poſſent,neceſſe eſſet eū aut negligētiā ſuā

tacendo turpiter accuſare, aut plærūq; neceſſarium ali quod prætermittere, quod ēt ſi partium patronos in terdum fugeret, diligentior deinde ſequentis inſtantiæ Auditor, detegeret, & emendaret, magno cum illius ne gligentis dedecore. Quocirca geminatis ipſius Collegii decretis cautum eſt, vt ſinguli Auditores, anteq̄ ſup cauſis eis diſtributis cōſilia Collegarū exquirant, omni cum diligentia, debeant, quæ ſunt in actis pœnitiſſime perſcrutari.

Informationibus faciendis, non eſt certus horarū aut dierum numerus præfinitus, (qui enim id recte fieri poſſit, cum non oēs cauſæ pares habeāt difficultates, neq; illæ pari temporis interuallo cognoſci valeant?) ſed totidē datur informationibus locus, quot opus eſſe videat ad veritatem inueniendam.

Informantur aūt & priuatim ſinguli Auditores a ſingulis partibus, & (ſi videatur eſſe operæ precium) ſimul oēs in circulo ſedentes, a quo ipſi Collegio Rotæ nomē eſt inditum. Informationes libere olim fiebant, & ſcripto, & voce. ſed paucis ab hinc annis imutarū eſt, ita vt præter ipſum Proponentē, niſi cauſa id exigēte proponens ita fieri mandet, alii uoce non informentur, ſed ſcripto dūtaxat, domi (inquā) nam in circulo illis conſidentibus liberum eſt vnicuiq; dicere.

Neq; interea dum cā priuatim informatur, Auditores ipſi nihil loquuntur, aut præpropere audientiæ finē imponunt, ſed quiete admittunt, & examinant quæ proferuntur, crebris quoq; interrogationibus, ac neceſſariis iterlocutionibus, & ſuos iterdum ſenſus libere aperiunt, & litigantium deprehendunt, alterius item partis argumēta alteri ſignificant, datis ēt ſcriptis vtrinq; informationis, imo ſi forte aliquid Procuratorū Aduocatorumue imperitia, ſeu ſimplicitate partis fuerit prætermiſſū, admonent ipſi litigatores, & ſupplent, æqui ſemp in vtrāq;

partē,quatenus attinet ad veritatē inueſtigandam.

Informādi modus & ratio,quā ſcripturū me ſuperius ſum pollicitus,hæc eſt.Qm̄ ipſius Collegii inſtitutio ſic habet, vt nihil extra cām dici,nullos affectus moueri,nullum deniq; patiantur eloquentiæ lenociniū afferri, ſed cōpreſſum,ac ſingula ſtatim argumenta cōcludens dicēdi genus apud eos plus fidei meret.Idcirco Procurator accepto ab Auditore puncto ſup quo eſt informandū. Si conſiderauerit aduerſariū ex facto, & rebus ipſis contradicturū,exindeq; pbabile aliquod aduerſæ partis firmamentum oriturū eſſe.tunc ipſe,prætermiſſa oī exordiorum præparatiōne,ac alte repetitæ narratiōis ſerie, in datum ſolūmodo pūctum reſpiciens,neq; ab illo alienum aliquid imiſcens.Si quid(ex actis dūtaxat)fuerit quod ſibi videatur ad intelligentiam dicendorū eſſe neceſſarium,illud narrationis loco ponit primū,ſubindeq; ſuæ partis confirmationem aggreditur,& (ex actis inq̄ & nihil extra acta proponendo)quibus ex locis, & quo pacto propoſiti dubii veritas in ſuam partē inclinet, q̄ poteſt breuiſſime ſtudet ſignificare.tum deinde præoccupat eas res quas, vel dicere aduerſariū intellexit, vel dictum eſſe, veriſimile videatur.& eas cōfutando ſingulas reiicit,atq; a propoſito diſtare probat,itaq; finem facit,nulla ad mouendos affectus adhibita peroratiōe, nulla epilogi enumerationiſue dictorū oſtentatione facta.Hæc(inquam)ita facit Procurator,ſi aduerſarius facto ſit & rebus ipſis contradicturus.Nam ſi factū vel cōſtet plane, vel aduerſarius de illo conſenſerit, aut dubitandi circa id rōnem non oſtendat,referat autem de iure controuerſiam,ea tunc defertur ad Aduocatū.

Spectat igitur ad officium Aduocati articulos illos dumtaxat informare,in quibus de iure ſit controuerſia . idq; per nudas iuris allegationes, nulla narratione , vel facti aliqua ſpecie interpoſita , tantummodo ad datum

ſibi punctum, iuris argumenta ſuggerendo. Argumenta (inquam) non infinitis illis legum, capitulorũ, gloſſarũ, & doctrinarũ cumulis agglomerata, ſed vel nullis (ſi argumenta ipſa ex ordinariis & notis regulis iuris accipiãtur,) vel, ſi de iure aliquo ſingulari ſumpta fuerint, q̃ paucilſimis, & quæ punctũ (vt dici ſolet) acu tãgant, auctoritatibus cõfirmata. Qui enim aliter deceat facere apud hos Auditores, & per ſe iuris peritiſſimos, & qui aſſiſtant audiendis hmõi cauſis Pontifici maximo, quem conſtat oĩa iura in ſcrinio pectoris habere! Itaq; hac de cã cõſueuit incõcinnus atq; ineptus videri, Auditoreſq; & lectores tædio afficere Aduocatus, qui ad vnum dũtaxat pũctum verſa pagina ſoleat ſcribere. Tantum eſt vniuerſæ Curiæ ſtudium breuitatis, faſtidium vero & odium publicum inanis multiloquẽtiæ. Eiuſmodi informationũ, ab antiquioribus quibuſdã Aduocatis factarũ, habemus hic multa volumina, formarũ typis nondũ impreſſa, ex vulgatis aũt, ſimilia ſunt Oldradi Conciſtorialis olim Aduocati conſilia, niſi qd illis addita ſunt plærũq; themata, ſiue quibus viſum fortaſſe eſt illi qui ea foras dedit conſilia ipſa nõ poſſe intelligi, talia ſunt itẽ cõſilia Calderini. Lapi (quæ allegationes inſcribunt) compluraq; aliorum ex vetuſtioribus quorundam.

Ex his partium informationibus, ac primũ ſuo iugi & exacto ſtudio, deinde communicata inter ſe collatione, cõparant ſibi omnes Auditores, non ſolum illarum, quæ ipſorum ſingulis (vt dixi) ſunt diſtributæ, ſed oĩum cauſarũ notitiam, vel potius familiaritatem, & memoriam quaſi perpetuam. ita vt mirabile ſit, in tãta cauſarũ multitudine, vnũquemq; ex eis de ſingulis cauſis interrogatum rõnem reddere poſſe. quod ẽt libenter faciunt, qua ex re partibus victis non modicũ datur ſolatiũ, cum intelligunt quãobrem victi ſunt, & ratiõibus acquieſcũt, nec ſupeſt occaſio vlla querelæ, niſi forſitan aliqui ſint

inſani aut temerarii litigatores, apud quos non ſit iu-ſtitiæ locus.

Peractis informationibus, conueniunt Auditores in loco iudicii, bis per ſingulas hebdomadas, vbi in aurora de more primũ in ſacello ſacris, deinde (ſicut eſt ſuperius dictum) in circulo Procuratoribus, & Aduocatis auditis, Subinde excluſis aliis, includũt ſe in ſacello, vbi ſex horis, plus minus, informatas inter ſe cãs cõferunt, vno-quoq; ex eis illas quas informari iuſſerat proponente.

Exquirit autem is qui cãm proponit a Collegis, nõ tabellarias, aut pedaneas, neq; per muta ſuffragia ſẽtẽtias, ſed clara conſilia, iuridicis, atq; a iure cõi acceptis rõnibus cõprobanda, nec recipit cuiuſquã dictum, etiam ſiquis illud iureiurando affirmet, niſi dicto rationes ẽt iuridicas addat, Habitis autem hmõi conſiliis, deinde ſecũdũ eam partem ad quã numero plures Auditores inclinãt, promulgat ſnĩam, ſi illa ſibi æqua & iuſta videatur. nã ſi rationibus illorũ, conſcientiæ ſuæ ſatisfactum eſſe minime ſibi appareat, non cogitur aduerſus cõſcientiæ ꝓpriæ dictamen iudicare, ſed poteſt cãm ad Cancellariã remittere, per alium iudicandã. præter autem, vel cõtra plurium conſilia, pronunciare ſibi non licet. Nec tamen exiſtimes reſolutione dubii facta, confeſtim eos currere ad proferendum ſnĩam, nam (quæ ſua eſt humanitas) eã reſolutionem parti contra quam tendit ſignificare prius conſueuerũt, vt ſi aliqua reſtet illi defenſio, poſſit ea vti. neq; dedignantur iterum informandi copiam facere, ſi pars ipſa id petat, præſertim ſi ꝓbabile aliquod afferat argumentum, prius non auditum.

In numero illo pluriũ, ſecundũ quem (vt dixi) eſt prõferẽda ſententia, nõ cõnumeratur Proponens, qui quid ſen-tiat ipſe, nec dicit, nec ſi dicat auditur. Prudẽtiſſimo certe inſtituto, cuius rõnem intelligere licet ex Poeta dicẽte. A ſe Tantalides onus, inuidiãq; remouit, Argolicoſq;

Duces mediis conſidere caſtris Iuſſit, & arbitrium litis traiecit in oẽs. Sed hic eo cautius agitur, quod ipſe Proponens (vt dixi) non cõnumeratur, & ex aliis, qui pro alterutra parte conſuluerint, non eſt fas intelligere.

Dum cauſa quæpiam proponitur, abſtinet a conſilio dando, & exit interim cõclaue, ſi quis interſit Auditor, apud quem ſit manifeſtum alteram partiũ gratia præualere. quod ſi ceſſaret per ſe facere, aut vrbane admonitus detrectaret, poſſet Collegii Decanus iure ſuo vel inuitum expellere. Sed non eſt hactenus auditum, fuiſſe quemq̃ adeo proteruum, vt oportuerit vti eo iure Decanum, tãta eſt illius loci modeſtia.

Eadem probitate ac modeſtia vtunť, ſi forte diſtribui contingat cuiquam ex eis cauſam, in quã cõſtet ipſum quoquomodo apud alteram partium fore ſuſpectum. conſueuerunt enim vltro ab eiuſmodi cauſarmu cognitione ſe excuſare, illaſq; ad Cancellariam aliis diſtribuendas, remittere.

Si paria ſint vtrinq; conſilia, quod contingere põt vbi ex duodenario numero (q̃d ſæpe accidit) aliq̃s deeſt, tunc eſt ipſius quidem Proponentis optio, vt quã putet æquiorem opinionem eligat, tñ hoc quoq; iure (quæ ibi viget modeſtia) non vtuntur. Sed aut concordia rem tranſigi curant, aut Papam deſuper conſulunt, aut ampliant cauſæ deciſionem, donec vel ipſorũ aliquis victus ratiõibus aliorũ mutet ſñiam, & alteri parti accedat, vel ſuperueniat alius in alteram partem inclinaturus. Neq; culpãdi ſunt, quod in æquali diſſenſione, mitiorem partem non amplectentes, reum pro abſoluto nõ habent, quẽadmodum olim in Areopago legimus eſſe obſeruatũ, quãdoquidem ibi de capite quærebatur, hic (vt dixi) nunquam capitales & publicæ, ſed priuatæ dumtaxat cauſæ, ciuiliter tractantur.

Neq; indecens ſibi exiſtimant hi Auditores tum vbi paria

ſunt conſilia,tum alias in quacūq; iudicii parte, antequā
de cauſa liqueat,ſi occaſio videatur adeſſe negocii com
ponendi,dilato pauliſper officio Iudicis,recipere pacifi
catoris,& quaſi cōmunis amici partes.quod ſi minus ſuc
cedat,accingunt ſe ad ſn̄iam proferendam.

Solet a multis de illo tribunali hoc notari,quod ſit in ex
pediendis cauſarum deciſionibus plus æquo tardū. Sed
quia re vera non meretur eam notam,cum ſicubi nimia
diuturnitas intercedat,illa non ex inſtitutione tribuna
lis,ſed aliunde proueniat,idcirco tibi,& aliis(ſi qui hæc
legerint)id minime ignotum eſſe volo,quod quantū atti
net ad ipſum Auditorium,proceſſus eſt admodum expe
ditus,quippe qui ſemper ſūmarius ſit, ac compediarius,
ita vt ſæpe contingat,(modo ſint probationes paratæ,)
ſpacio nouem anni menſium,quibus dicitur ius, quamli
bet arduam cauſam,trinis ſententiis iudicari. Si qua au
tem intercedit mora,illa potius a litigatoribus ꝓuenit,
qui vel proſecutionem litis plærunq; intermittunt, reſu
muntq; tēporibus interpollatis.vel quaſi aduenerint im
parati,ad ſingulas quaſq; difficultates quæ litigando &
altercando deteguntur,producēdis & teſtibus,& inſtru
mentis,dilationes flagitant. iis dilationibus certe vbi ꝑ
calumniam eas peti quoquomodo ſuſpitio ſit,via præ
cluditur. ſinautem omnis calumniæ ſuſpitio abſit,inde
cens eſſet tanto tribunali,non auſcultare iuſta petētes,
&(ſicut prouerbio dicitur)cito iudicando,ad pœniten
dum properare,promulgando videlicet ſentētias,mox
in altera inſtantia,ob producenda teſtimonia & inſtru
menta,reuocandas.itaq; vbicūq; abeſt calumnia dilatio
nibus non parcunt, & quandocūq; ante promulgatam
ſententiam,quæ ad cauſam faciant,producātur,ea ſem
per recipere conſueuerunt,& inter hæc fieri non pōt,ne
currant temporum interualla,præſertim cum cauſis plæ
rūq; ex longinquo aduectis,neceſſe ſit ad eas regiones a

quibus cauſæ venerint,probationum dies iuſta modera-
tione comparare. adhuc igitur nulla eſt vel Auditorii,
vel Auditorum culpa. Inſtructa cauſa, quæ nõ habeat,
aut arduas iuris difficultates, aut facti, per coniecturæ
argumenta decidendi controuerſiam, abſq; vlla cuncta-
tione expeditur. Sin autem eiuſmodi controuerſiam, ac
difficultates habeat,quia tunc opus eſt Auditorẽ expe-
ctare occaſionem temporis,vt poſſit,legendo etiam in-
ſtrumenta & teſtimonia,cauſæ merita vniuerſa Colle-
gis exponere,ac ſuper illis deinde quæ a partibus infor-
mando adducuntur argumẽta referre, Collegarumq; cõ-
ſilia deſuper(vt eſt dictum)exquirere,nec vlla eſt adeo
facilis & expedita cauſa,circa quã hæc omnia paucis ho-
ris tranſigi poſſint,neceſſe eſt interim dies multos præ-
terire. Quod ſi quis conſideret multitudinem cauſarum
quas præ manibus habẽt, anguſtiam vero temporis,quo
(vt dixi)concluſi cauſas conferũt,ſex videlicet horarũ,
partiẽdarum in duodecim Auditores,mirabitur potius,
quod ea celeritate qua ſolent expedire ſeſe valeant, q̃
quod eos tarditatis accuſet,quamq̃ hic verſatis non eſt
adeo mirum,quippe cum ſit manifeſtum, ipſos Audito-
res,diuturno & continuo iudicandi vſu,cauſarum om-
nia diuerticula ita callere,vt(inſtructi præſertim Aduo-
catorum & Procuratorum vtriuſq; partis informationi-
bus)quamcũq; & quãtũlibet confuſam & intricatam cau-
ſam,in pauca redigant,& concludant, in quibus ea con-
ſiſtat. Et ne fortaſſe aliquis argumentetur poſſe eos ſi
velint ſaltim frequentius quã faciunt conuenire, con-
uenienteſq; ſimul diutius morari.animaduertendum pu-
to eſſe,primum quod in tam ardua & laborioſa contro-
uerſarum rerum collatione, vno atq; eodem die ſex ho-
ris durare, eſt per quam difficile. ſæpius autem con-
uenire, poſſent; neq; ita pridem tertio quoque die con-
ueniebant, exceptis dominicis & aliis feſtis diebus,

ſed

Sed experientia docuit, magis expedire hoc quod agit, ſiquidem hoc ampliori tpis interuallo, Aduocati & Procuratores faciendis informationibus diligentius incumbere, ipſi vero Auditores informationes audire, ac ſcriptas perlegere, illarũq; argumenta ẽt ex libris pñt maturius ponderare. neq; exiſtimes eas numero paucas eſſe, quin certo ſcias nullam eſſe audiẽtiam, qua(vt minimũ dicam) quadraginta cauſæ non informent. quod ſi reputes in vnaquaq; cauſa binas vtraq; ex parte ſcriptas, facti videlicet & iuris informationes ſingulis auditoribus porrigi, habebis imenſam congeriẽ, quam neceſſe eſt vt ſinguli totam perlegãt, & præterea de ſuo ẽt aliquid addãt, prout res tulerit, ne videant eas negligenter vidiſſe. hæc autẽ paucis horis fieri nequeunt. atq; hinc eſt qđ plures nũc cauſæ finẽ accipiunt his duabus informationibus, q̃ acciperent olim trinis illis per ſingulas ſeptimanas. Quod ſi cuiquam hæc quæ dico non ſatisfaciunt, is conſideret ea quæ ſunt in aliorũ Principũ & Rerũ publicarũ ditionibus tribunalia ſuprema, in quibus ad exemplum huius Auditorii cauſæ a multis iudicantur, (quorum pene oium mos cognitus mihi eſt), & penſatis circũſtantiis vniuerſis, comperiet (ne de aliis iudicii qualitatibus loquar) maturitate expeditionis, hoc Auditoriũ nulli alteri ſecundũ eſſe.

Eſt autem ius prouocandi ab ipſis Auditoribus ad Papã, ſemel atq; iterũ, ſecundũ iuris cõis diſpoſitionẽ. Sed Papa (tanta eſt de ꝓbitate loci exiſtimatio) eiuſmodi cãs, aliis quidem Auditoribus diſtribui iubet, extra ipm aũt Collegium iudicandas non delegat. Sed (vt magis etiã loci venerationẽ agnoſcas & admireris) nõ raro contingit, vt ipſimet litigatores aduerſus quos proferunt ſententiæ, ſuarũ appellationũ cauſas iiſdem Auditoribus q ſnias illas protulerint, ſponte ſua diſtribui petant, certo ſcientes qđ pro ſingulari eius Collegii probitate ac mo

deſtia,ſi quid in altera inſtantia,contra prolatam ſentẽtiam,validum afferatur,ſiue illud ſit ex facto,ſiue ex iure,non minus æquo ac pacato animo,ſniam (prout res exigit)mutant & corrigunt,quam faceret alius quilibet iudex cui eſſet illarum cognitio demandata.

Eſt & alterum quaſi prouocatiõis genus.Nam ſi in aliqua de iure controuerſia Proponens retulerit maiorem cõſiliorum partem a Collegis habere, Aduocatuſq; partis eius,contra quam eo modo ſit controuerſia reſoluta,putet aliter poſſe de iure ſuſtinere,licet ei appellare publicas relationes,id eſt vt dubiũ illud iuris die dicta,in Cardinalium,& aliorũ qui ſint iuriſperiti,Curiæ Prælatorũ conſeſſu publico,proponatur,atq; ita partiũ aduocatis de iure differentibus palam auditis,a maiori parte illius numeri cauſa decidatur.hoc magis verum eſſe oſtẽdit, illud quod ſæpius dixi,Rotæ Auditorium eſſe non ex Monarchiæ,ſed ex Reipublicæ forma inſtitutũ.Verũtñ Aduocatorũ qui ſuperioribus annis fuerunt inertia,puſilloq; animo factũ eſt,vt iampridẽ egregiũ hoc Iudicii genus eſſe deſierit: ſiquis tamen,occaſione data,oportune id petere auderet,non eſt abrogatum.

Hæc ſunt quæ mihi de Auditorii Rotæ inſtitutiõe in præſenti dicenda viſa ſunt.nã & plura eſſe non dubito,quæ me fugerint,& multa ego tanq̃ leuiora & friuola cõſulto præterii.Ex dictis autẽ per te ipm facile iudicare poteris.an de aduentu ad Vrbem tuo,rectum tibi meũ conſilium videatur.Et alii quibus id venerit in mẽtem,poterunt anteq̃ iter ingrediantur,de rebus ſuis & quid hic acturi ſint,mature deliberare.

Impreſſum Romæ Apud Antonium Bladum
menſe Octobri. M. D. XLII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE